



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Cruce  
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte  
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi  
coadiutoris**

**Juan <de la Cruz>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1639**

Epistola IX. Ad Matrem Annam de Iesu Religiosam Carmelitam  
Discalceatam in Conuentu Segobridæ. Vbi consolatur eam in mœrore  
quem sentiebat eo quod in Capitulo Generali V. P. à Prælatura liber ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37873**

## EPISTOLA IX.

*Ad Matrem Annam de Iesu Religiosam Carmelitam Discalceatam in Conuentu Segobrida.*

*Vbi consolatur eam in mœrore quem sentiebat eo quod in Capitulo Generali V. P. à Prælatu-  
tura liber remanserit.*

**I**Es vs sit in anima R. V. Gratias plurimas refero quod ad me scripserit, ex quo multo magis deuinctum me sentio, quam prius eram. Quod res Capituli non ita euenerint, prout erat R. V. in votis, deberet potius esse consolationis & Deo gratias agendi occasio: cum enim Dei ordinatione factum sit, procul dubio nobis id magis expedit, solum restat applicare voluntatem, vt quemadmodum verum est, ita nobis esse videatur. res enim quæ nobis displicent quantumuis bonæ sint & consentaneæ, malæ videntur & aduersæ; hanc autem satis constat nec alijs, nec mihi esse malam: mihi enim valde prospera est quia libere & absque onere animarum possum (dummodo velim) cum diuino adiutorio, solitudinis quiete frui, fructuque delectabili mei, rerumque omnium oblivionis, potiri. Cæteris autem etiam bonum erit si procul ab illis fuero: sic enim immunes erunt à defectibus, quos propter meam in regimine imperitiam commississent. Hoc vnum à te peto, filia, vt Deum exores, quatenus modis omnibus hanc mihi gratiam conferre pergat: Vereor enim ne Segobridam ire cogat, nec omnino ab omnibus expeditum me relinquant. licet etiam hoc

onus, quantum in me erit, conabor excutere. Quod si neque hoc licebit subterfugere, non tamen propterea Mater Anna à Iesu effugiet manus meas, sicut ipsa existimat. vnde nec morietur desolata ex eo quod cesset occasio, vt ipsa putat, acquirendi insignem sanctitatem. Verumtamen siue vadam siue maneam, vbi & quomodocunque manere me contingat, ipsius non obliuiscar: nam ex corde ipsius bonum æternum desidero. interim vero dum illo in cælo frui differtur, virtutibus exercendis insistat, mortificationi scilicet, & patientiæ: cupiens per patientiam aliquo saltem modo assimilari huic Magno Deo nostro humiliato, & crucifixo: quandoquidem vita præsens, nisi illius sequamur vestigia, inutilis plane sit. Diuina Maiestas conferuet & augeat in R. V. amorem suum tanquam in Sancta, & sibi dilecta, Amen. Matri-  
6 Julij. 1591.

*Fr. Ioannes à Cruce.*

## EPISTOLA X.

*Ad Matrem Eleonoram Baptistam Priorissam  
Conuentus Veatensis Carmelitarum  
Excaltætarum.*

*Docet eam in quo consistat vita Apostolica &  
abrenunciatio religiosa.*

**I**Es vs sit in anima R. V. Ne suspicetur (ð filia in Christo) me non condoluisse laboribus, quos R. V. tulit, cū participib. sororibus, non sic res se habet. Veruntamen dum recolo, quod sicut à Deo vocata est, vt apostolicam vitam ageret (quæ est vi-